tue, ut mecum sit et mecum laboret,
et sciam quid acceptum sit apud
te. Sapiencie ix capitulo. De divino igitur
dispositio adiutorio, quod presto est omnibus
pie deum invocantibus, iuxta illud
psalmi: Prope est dominus omnibus invocanti-
bus eum, hunc ordinem servemus,
ut secundum congrue procedi nobis innata
a communibus ad propria procedamus.
Et ut clarior sit processus, totum trac-
tatum de contractibus hic pertrac-
tando principue quo ad partem illam
que est de redditibus, in tres partes
dividamus, quibus non capitulis in varias
questiones et responsiones ad illa sub-
dividendo questionum titulos per
ordinem premittendo, ut si quis totum
tractatum perlegere voluerit eligat
ex titulis quos non per ad perlegendum
sibi magis fuerint utilia. Sic igitur
hec debet mirum videri cuiquam
si in causis dicta quibus quomodo dubia
querit sciri proponuntur, quia prima facie
in quibusdam dubium non videtur apud
omnes manifestum et indubitatum esse,
secundum communis quia illud quod queritur
in se quo ad subiectum questionis sit plu-
ribus et omnibus notum, tamen propter
varios modos circa idem questionum
incidentes quo ad plures circum-
stancias et condiciones personarum
et negociorum in ipso sepe solet
magna latitare dubia. Unde
ille peritus moralis Katho dicebat:
Est flumen est placitum forsitan latet
altior unda. Et sic solet certa
varia in quorum solucionibus in-
veniri possunt doctrine multum
utiles atque salubres. Sed quamvis
omnibus notum sit deum esse, magistri
tamen doctores theologi movent
istam questionem utrum deus sit, ad
ad aperiendum sentencias que
de deo sunt, et ad ostendendum
seu docendum vias claras quibus
usitate arguitur, que sunt pertinent con-
veritate que de deo est theologice
et philosophice obviandi etc.

Questio prima est ista: utrum
constitui redditus pecuniarum
vel aliarum rerum scilicet pannorum
vini vel huiusmodi in re aliqua vel persona
licitum sit et expediens in repu-
blica. Et primo tres conclusiones hic.
Constituere redditus pecuniarum vel
aliarum rerum scilicet pannorum, vini et huiusmodi
in re aut persona vel universitate
vel communitate licitum est et expe-
diens in republica, dummodo hoc
fiat intencione recta et ex racio-
nali causa cum discrecione de-
bita et equitate. Probatur: constituens
cum debita discrecione et equi-
tate redditum in re aut persona ea
intencione et ob hanc causam,
ut de illis redditibus sustententur
illi qui aliis presunt in spiritualibus
et eciam illi qui presunt in civitatibus
et temporalibus, atque eciam ut inde sustente-
tur pauperes et infirmi et
servi dei in religionibus et
pro divino cultu vacantes quod
minus et prioribus adiuvantur, certe
de ecclesia ad consequendum
a deo benediccionem et multiplicacionem
tam in spiritualibus quam in temporalibus
et ut eciam ex hiis redditibus

de spiritualibus

fundent hospitalia fiderentur
ecclesie, altaria, monasteria et
alia ad divinum cultum pertinentia
impendantur, quam pro munitione ac
defensione et bono statu civitatis
alicuius aut ville aut patrie licitum
est et expediens in republica.
Igitur conclusio vera quia de se nota est. Sed
ante probatur prima parte que est de hiis
qui alios presunt in spiritualibus probatur
auctoritate sacre scripture utriusque scilicet
novi et veteris testamenti. Nam
lex divina testamenti veteris con-
stituit sacerdotibus sacrificia domini
et oblaciones eius et primicias vi-
ni, frumenti et olei et que secundum legem
populus afferre debuit domino, de quibus
erant decime et primicie et quicquid
est in muneribus de quibus habetur
Deut. 12 et 18 et in aliis locis.
Constat etiam hoc ex novo te-
stamento. Ita secundum apostolum 1 Thimo.
v. Qui bene presunt presbiteri duplici
honore digni habeantur, maxime
qui laborant in verbo et doctrina
dei, ubi glossa: Qui bene presunt presbiteri
vita et doctrina digna habeant
a subditis duplici honore,
ut scilicet spiritualiter eis obediant et
potiora ministrent. Et hanc sententiam
suam probat apostolus per auctoritatem
veteris legis dicens: non alligabis
os bovi triturantis, que ponitur
Deutro. 25 sub hiis verbis: Non
alligabis os bovis terentis in area
fruges tuas. Eandem auctoritatem
etiam allegat Apostolus prima Cor. ix.
et eam exponit ita ut per bovem
intelligat predicatorem verbi dei et
quemque qui aliis in spiritualibus prest
et fideliter laborat in agro et area
domini. Cui debet ab illis quibus
laborat in necessaria vite temporalis mi-
nistrari. Et 1 Thimo. 4to allegat
scriptura novi testamenti que
dicit: dignus est mercenarius

mercede sua, Luc. x. et Matheo
x. Dignus est operarius cibo suo.
Patet igitur ex hiis scripturis veteris
et novi testamenti quod in republica
providendum est in temporalibus et exteri-
oribus vite necessariis hiis qui aliis
presunt in spiritualibus. Sed hoc congruenter
et apte fieri potest per hoc modo quod ad eorum
provisionem constituantur redditus. Eo modo
quo in conclusione ad quorum confirmacionem
dicitur quod tales constituere redditus lici-
tum est et expediens in republica.
Et per hoc racione, nam racio dictat ut
illis qui ceteris presunt in hiis que
ad deum pertinent ita provideatur
de necessariis vite, ut ab exterioribus
et corporalibus laboribus et cu-
ris supportati liberius vacare
et intendere possint exercicio
et laboribus spiritualibus, qui multo
nobiliores sunt et fructuosiores
et ad vere felicitatis consecucionem magis
necessaria quam labores corpor-
ales. Sed talis provisio congrue potest fieri
per redditus, prout etiam dictum est.
Hanc racionem tangit Apostolus prima Cor.
ix. dicens: Si nos vobis spiritua-
lia seminavimus, non magnum est si
nos carnalia vestra metamus.
Hac racione etiam sacerdotes veteris
legis veteris legis nichil acci-
piebant de possessione fratrum
suorum, ut habetur Deutr. xviii. Quia
dominus erat eorum hereditas, ita
quod ea que in lege domini constituta erat
ut offerrent domino sacerdotes acci-
perent et de ipsis viverent atque
ita liberius divino cultui sine
exterioribus occupacionibus
et laboribus vacarent. Et ob
hoc etiam Deutr. xii. districte
precipiendo dicitur populo: Cave ne de-
relinquas Levitam in omni tempore
quo versaris in terra. Et ita
patet prima pars de hiis qui aliis presunt

in temporalibus, cuiusmodi sunt reges, du-
ces, principes, milites, iudices et
ceteri rectores populi ac reipubli-
ce gubernatores. Probatur. Nam racionale
et iustum est illis constitui vel
dari redditum, censum vel tribu-
tum unde vivant, qui bene presunt in tempora-
libus et civilibus, qui pro defen-
sione terre militant et eam ab ho-
stibus et latronibus defendunt,
qui pacem, iusticiam et veritatem
inter homines procurant et conservant,
sub quibus alii tranquillam vitam
agunt. Hec namque dum bene presunt dei
ministri sunt, ut Apostolus dicit Ad Ro. 13,
quibus et tributa dicit esse prestan-
da. Et Christus dum interrogatus
an liceret censum dari cesari
respondit: Reddite que sunt cesaris
cesari et que sunt dei deo, Mt.
xxii. Et beatus Johannes baptista
ad milites dicebat: contenti esto-
te stipendiis vestris etc. Tercia pars
autem de pauperibus et infirmis
sustentandis et hospitalibus
fundandis patet, quia per hoc patet ad opera
misericordie, de quibus Luc. vi.: Estote
misericordes etc. Et illud: Date et
dabitur vobis, et Luc. xi.: Date ele-
mosinam et ecce omnia munda
sunt vobis etc. Quarta pars autem
de servis dei in religionibus et
extra divino cultui et oracioni va-
cantibus patet ex probacione prime
parte, cum tales servi dei presunt aliis
in spiritualibus, et si non omnes in admi-
nistracione sacramentorum ut predi-
cacione aut huiusmodi exercicio
vel operacione, omnes tamen presunt et
presunt vite merito et oracione. Et Quinta
pars autem de fundacione ecclesiarum
et monasteriorum probatur. Nam lex divina
utriusque testamenti novi scilicet et

veteris data est ad ordinandum
homines in deum non solum per interi-
ores actus mentis, sed etiam per
quedam exteriora opera quibus
homo suam servitutem et divinam hono-
rificenciam debet profiteri. Et talia
autem opera ad divinum cultum
pertinent deo sollempniter exhibenda
in ecclesiis et templis ad hoc
constructis, adhibitis illis quibus
dei ministri ad hoc specialiter
deputati et ordinati utuntur
tamquam instrumentis, cuiusmodi sunt
sacra vasa, vestes
sacre et similia, et talia in lege
veteri vocabantur sacra. Sed expedi-
ens est, immo debitum et necessarium
in republica talia procurari et
fundari, quod valde convenienter
fieri potest cum pro talibus constituendi
sunt quidem redditus instituti. Et Sex-
ta pars autem que est de munitione
et defensione et bono statu
civitatis seu civitatis ville aut patrie
patet per hoc quod talis munitio, defen-
sio et bona ordinacio deserviunt
ad pacem, in qua pro magna parte
consistit felicitas politica. Unde
Aug. xix. de ci. dei c. 11. Tantum
est pacis bonum ut etiam in rebus
terrenis atque mortalibus nichil
gracius soleat audiri, nichil desi-
derabilius concupisci, nichil postremo
possit melius inveniri. Et in eodem
c. xii. Sicut nemo est qui gau-
dere nolit, ita nemo est qui pacem
habere nolit. Cum quidem etiam ipsi
qui bella volunt nichil aliud
quam vincere volunt. Ad gloriosam ergo
pacem cupiunt bellando pervenire.
Nam quid est aliud victoria
quam subiectio repugnancium, quod ad
factum fuerit, pax erit. Pacis ergo
intencione bella geruntur. Hec ibi.

2a de personis in temporalibus

3a de pauperibus

4ta de religiosis

5ta de fundatione ecclesiarum

6ta de munitione civitatis

Et ibidem ca° xviii. distinguit de multiplici pace / et in ca° ii et in sequentibus usque ad vicesimum inclusive eandem materiam prosequitur de qua prosecutione ad presens supersedeo causa brevitatis. Dixi aut in quo genere quod huiusmodi redditus constitui possunt in re constitui namque possunt licite et iuste in rebus quarum usus non est earum consumptio vel dissipacio / sive res ille sit inmobiles / ut agri vinee domus aut similia / sive sit mobiles ut equus vacca / ovis / et similia. Possunt etiam constitui redditus certi precii quod solvat annuatim sed ut communiter libere ut aliquis huiusmodi vult mittere puta quod solvat annuatim quartam partem fructuum / vel quintam / vel aliquid tale de hiis que proveniunt de domibus ut agris vel vineis vel ortis etc. Sicut Joseph in Egypto constituit septimam partem fructuum terre Egypti dandam esse regi ut habetur Gen. 40. Dixi etiam aut personam aliquam. Sed hic vertitur in dubium dicentes quod redditus constitui non possunt in persona / puta quod persona obliget ad solvendum redditus aliquos non ferendo ad rem aliam certam / de qua redditus haberi possunt. Et racio redditur quia in tali obligacione non res / sed persona libera obligatur / que obligari vel impignorari non potest. Probatur persona libera potest in servitute redigi et in obsidem poni / igitur persona libera potest obligari vel impignorari / maior / cum redactio in servitute magna sit obligatio / et obsidis posicio vera sit impignoracio. Antecedens manifestum est ex scripturis sacre

utriusque testamenti novi et veteris ex glosis autenticis et pluribus doctorum / scilicet Augustini / et aliorum dictis atque etiam ex legibus humanis / que omnia ita manifesta sunt quod non est opus ea singillatim ac distincte allegare. Item quamvis servitus illa despotica dura et abiecta de qua loquitur philosophus et leges divine et humane non sit de lege nature secundum primevam hominis conditionem non tamen semper est iniusta post hominis lapsum et prevaricatione. Racio sic patet per Augustinum xix de civitate dei ca° xv. Deus ita hominem condidit quod ipsum rationalem factum ad ymaginem suam voluit non irracionabilibus dominari non hominem homini sed hominem pecori. Unde nusquam scripturarum legimus servum antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit non natura. Et post quedam subdit Augustinus. Prima ergo servitutis causa peccatum est ut homo homini conditionis vinculo subderetur quod non fit nisi deo iudicante apud quem non est iniquitas et novit diversas penas distribuere meritis delinquencium. Secundo hoc patet quia persona que libera est potest illiberari et in servitutem redigi merito peccati proprii vel alieni iusto dei iudicio qui novit diversas penas distribuere meritis delinquencium ita Canaam cum tota posteritate sua merito peccati patris sui Cham addictus est servituti. Sic etiam tamen si quis bonus princeps vel quicumque iuste dominans quantumcumque videret aliquem ita viciosum quod libertas eius nociva esset reipublice posset eum iuste punire pena servitutis. Sic est in certis casibus posset eum iuste occidere propter bonum

reipublice etc. Item persona libera seipsam potest voluntarie vendere et pro precio servituti se subicere ut apparet Exodi xxi et Deuteronomii xv. Item persona que libera est potest capi in bello et iure belli in servitutem redegi. Unde Augustinus xix de civitate dei c. xv. Origo vocabuli servorum in latina lingua inde credita quod hii qui iure belli possent occidi et a victoribus observabantur servi fiebant a servando appellati etc. Ad hoc ad propositum nostrum sicut quis habens servum servitute dispotica / de qua nunc dictum est habet in eo servitutes personales et habet in eo redditum constitutum in persona / sicut tamen cum servitus personalis quam dominus habet in servo sit ius percipiendi operas que alia emolimenta provenientia de persona servi que etiam estimari et mensurari possunt per pecuniam / similiter etiam est ne redditus in persona. Item homines liberi servum loco servicii et operarum possunt etiam servo constituere in eo constituere redditum vel censum annuum certe quantitatis pecuniarum quam quidem quantum ille de labore et industria personali quere dare possit etc. Item homo quicumque libere ad tempus vel ad vitam suam totam saltem quamdiu de suo labore vel industria vel ultra sua necessitate tantum vel tanto poterit residuare obligare potest seipsum ad hoc quod absolvat alicui homini vel monasterio alicui vel ecclesie aut capelle vel hospitali etc. annuatim aliquam certam summam pecunie puta libram unam vel incertam puta quartam vel quintam partem vel consimilem eius quod ex suo personali labore artificio et

industria omni anno acquisierit. Licet aut est ipsum constituere censum vel redditum in persona sua. Dixi aut hoc licite aliquis facere posset. Utrum ea liceat / hic vertitur in dubium. Dixi etiam constitui posse redditus in universitate seu communitate. Constitui namque possunt redditus in universitate seu communitate hominum alicuius civitatis / ut ville vel imbi presidentium scilicet consulibus seu rectoribus propter vel in aliqua universitate seu communitate religiosorum aliquorum monasterii vel canonicorum alicuius collegii et ita de consimilibus et in qualibet tali universitate seu communitate constitui possunt redditus eodem modo quo constitui possunt in domo vel agro etc. Est namque universitas seu communitas tamquam res immobilis et quodammodo perpetua. Et si non quo ad presenciam hominum durationem tamen quantum ad continuam successionem sicut dicitur flumen unum propter eandem manere propter aquarum in eodem alveo sibi invicem succedencium continuationem. Et sicut per destructionem domus per incendium vel aliunde aut agri per alluvionem et ita de consimilibus diminuitur aut omnino perit redditus in aliquo tali constitutus ita etiam per destructionem aut depauperationem alicuius universitatis per translacionem vel fugam vel mortem naturalem vel violentam hominum vel aliunde diminui potest vel omnino perire census vel redditus in universitate vel communitate constitutus etc. Dixi etiam in quo genere quod huiusmodi redditum constitucio fieri debet cum discretione et equitate ita videlicet ut distincte cum equitatis libramine respectum habeat ad rem vel personam in qua

d^r quare usque hic
d^r aut p^na
d^r in universitate
d^r cum discretione

con

v^r h^i ... condicio

redditus constituunt ut scilicet si con-
stituunt in re aliqua ipsa res sit
talis quod habeat usum utile pro suo co-
suptionem aut dissipacionem et ut non
oneret ultra hoc quod rationis et honestas
ferre potest aut etiam expensis pro conser-
uacione rei et deductione ipsius
ad fructum necessariis Si vero non consti-
tuunt in persona ipsa persona sit
talis quod sit potens et ydonea
ad soluendum de suo labore
vel industria tales redditus
sine defectu necessario vite proprie
et sine detrimento rationis et congrui
status sui. Respectus etiam haberi
debet ad illos qui tales redditus
percipere debent et de eis sustentari
ut scilicet sint tales quod possint prodesse
aliis in spiritualibus vel temporalibus aut
sint pauperes vel infirmi aut
vacantes diuino cultui et ita
de ceteris de quibus supra habitum
est in prima questione. Ad aliud dicendum
rursus et utilitatem constitui debent
redditus pro hominibus qui sunt fortes
ad laborandum et acquirendum vic-
tum suum de laboribus suis nec
impediti sunt vel occupati per
aliquod officium aut ministerium in
cultu diuino aut in republica
aut aliorum seu profectu spirituali
vel temporali. Pro talibus enim con-
stitutio redditus est facere ociosos
homines ad labores aptos
et totaliter non impeditos nec
aliunde occupatos viuere vel
fructum percipere de laboribus
fidelium laboratorum qui portant
pondus diei et estus atque eos
ad penuriam producere quod est
directe contra precepta de dilectione
proximi. Et sic ex multiplicatione
redditum pro talibus multum deperit

reipublice quia tunc omnes qui
possunt et debent laborare corpora-
liter sustentant de redditibus ociosi
non possunt agri vinee et cetere culture
prouenire fructus tantum sufficienter colitur
si etiam illi cum aliis laborarent
et ita multum deperit de fertilitate
terre et arborum. Et sic etiam
de fructibus animalium pascendorum
et etiam domorum edificandarum
etc. de multis similibus et cetera haec
que peperit caristia in rebus
naturalibus et etiam artificialibus
pro humana sustentacione cogeneris.
Et terre fertiles multum quia apte
habitacionibus hominum steriles
redduntur et in solitudinem rediguntur
ita ut vbi esse debet habitacio homi-
num de suis domibus et turribus
laudatum fiat habitacio besti-
arum siluestrium scilicet et draconum et
ita supueniet terre xpianorum
omnibus babiloniam de quo Ysaias
xiii. nouissime esse prophetatum. Pro-
gressus quod in huiusmodi constitucione
redditum magna discrecione
opus est sine qua nec etiam deo
aliquod sacrificium est acceptum quod
bene figuratum est et per dominum Leuitici 2°.
Quicquid obtuleris sacrificii sale
condies vbi salis nomine discrecio
in omni opere humana designatur.
Et etiam attendere apostolus ad Ro-
12. Propter quod dixit obsecro vos fratres vt exhibeatis cor-
pora vestra hostiam viuentem
sanctam deo placentem. Statim sub-
iungit racionale obsequium vestrum.
Manifestum est autem quod non est facere
deo racionabile obsequium facere homines
ociosos et inutiles in aliorum
et tocius reipublice grauem iacturam
et magnum preiudicium.

Secunda questio est ista vtrum
redditus pecuniarum vel
aliarum rerum scilicet bladi

vini etc. racionabiliter constitutos in re aliqua
aut persona aliquis emere possit
licite pro pecunia. Pro parte negativa
istius dubii precipue quo ad empcionem
redditum pecuniarum pro pecunia
scilicet percipere videtur esse intencio docto-
ris solempnis magistri henrici de
gandauo 8° quolibet questione 14 vbi dicit
quod pecunia est tale quid in quod
per se non cadit empcio et vendi-
cio vel commutacio sed est medium vtrius-
que et ideo vbicumque et quandocumque tra-
ditur pecunia in contractu tamquam commu-
nicatur et non tamquam medium empcionis
et vendicionis mutuo traditur
pecunia in contractu tamquam com-
municatur et non tamquam medium empcionis
et vendicionis mutuo traditur. Ideo
spes accipiendi aliquid pro huiusmodi
pecunie tradicione vsura est. Di-
cit enim pecunia nuda datur et nulla
empcio vel vendicio interueniat
sed ut tantum accipiat post
lapsum temporis et aliquid amplius
sine pro certo ad quam singulis an-
nis recipiat intencione plus
recipiendi sorte vel per se quo
ad vitam vel per se et heredes
sive successores suos ad vitam
plurium aut ad perpetuum procul
dubio non video quod sit vsura.
Idem enim in aliquo dicit emere
tales redditus ad vitam quam ad
perpetuum quam ad vitam nec in veri-
tate est empcio licet sic so-
leat appellari ut palliet
vicium quia commutacio huius tracta-
tus sunt pecunia sunt data et
pecunia per certas recipienda sicut
est pure mutuum. Hec ille doctor.
Et contrarium tamen illius tenet
doctor scilicet magister Godfredus

de fontibus in 10 quolibet suo questione
xiii. Et vbi aut clarius elu-
cescat veritas in hac parte pre-
sciendum quod secundum iura rerum que
venire consueuerunt in contractu
empcionis et vendicionis quedam
sunt corporales ut domus predium
equus bladum vinum et huiusmodi
de quibus manifestum est quod
pro pecunia emi vel vendi possunt.
Alie vero sunt res incorporales
seu spirituales ut sunt ius here-
ditarium et ius agendi ad rem
hereditariam vel ad certam
pecuniam vel ad rem aliam et
seruitutes tam personales quam
reales et huiusmodi consimilia
que omnia etiam licite vendi
et emi possunt. Et secundum iura aliud
est ius hereditarium et aliud
est res hereditaria. Et ius here-
ditarium quoddam incorruptibile
seu spirituale est quod competit
heredi et dicit potestatem qua
heres habet ius ad iuste possi-
dendum aut vendicandum sibi
rem hereditariam. Res vero here-
ditaria est res corporalis que
debet heredi propter tale ius.
Aliud etiam est ius agendi
ad certam pecuniam vel rem aliam
et aliud est pecunia vel res ad
quam alicui competit accio. Aliud
est etiam seruitus personalis vel
realis. Aliud fructus inde pro-
ueniens. Sic in proposito aliud
est redditus pecuniarum siue rerum
aliarum corporalium. Aliud vero sunt
pecunie siue res corporales
quarum est redditus. Nam redditus
est ius quoddam percipiendi pecunias
vel alias res et tale ius est
incorporale seu spirituale aliud
ab ipsa re corporali que tali

iure percipit. Ex hoc sequitur quod sicut
ius agendi ad certam pecunie
quantitatem vendi et emi potest
licet ius agendi ad certam quantitatem
pecunie non emat nisi propter
ipsam pecuniam tamen quod non est for-
maliter ipsa pecunia sed tamen in
virtute solo potest emi ius ipsum.
Ita etiam in proposito licet ius per-
cipiendi pecuniam non contrahatur
nisi per ipsam pecuniam quod tamen est
aliquid aliud ab ipsa pecunia ven-
di potest et emi cum quo tamen transit
pecunia recipienda etc. Item notandum
quod in huiusmodi contractu non debet
emere redditus pecuniarum vel
rerum aliarum mobilium quecumque
quod redditus pecuniarum vel aliarum
rerum mobilium que cadunt sub
reddituum vel reddituum non videtur
differre specie vel essentialiter et formaliter
sed solum materialiter. Nam cum ex triti-
co vel alia re possit statim
haberi pecunia non debet redditus
huius et alterius etc. Sicut cum emitur
redditus de aliquo tritici non dicitur
emi triticum secundum suam substantiam
quod non dicitur est in rerum natura
sed emitur ius percipiendi triticum.
Ita etiam cum emitur redditus
pecunie non emitur ipsa pecunia
saltem formaliter sed ius percipi-
endi ipsam. Item est tamen quod emitur
pecunia aliquo modo in virtute
nec hoc est illicitum. Sicut enim emitur
fundus terre et emitur pe-
cunia in virtute cum ex eo statim
possit haberi pecunia. Secundum iu-
ristas omnes res pecunia appre-
ciabiles sunt in pecunia convertibiles
tamen per quod pretio totum quod habetur
pecunia esse et est dictum supra.
Ideo eadem ratione est ius percipi-
endi pecuniam et aliarum rerum
que pecunia estimantur et in hoc

contractu pecunia non est communiter
empcionis species sed ipsum ius per-
cipiendi pecuniam modo predicto. Sicut
etiam qui emit servitium personale
vel reale non emit formaliter
fructum inde provenientem sed eius
ius percipiendi illum fructum etc. Ex
hiis patet conclusio ad istud
dubium videlicet quod licite potest quis
emere et vendere pecuniam red-
ditus pecuniarum vel rerum aliarum
certas hoc est secundum certam
quantitatem limitatam perpetuo vel ad vitam etc.
vel incertas puta certam vel quantam
partem vel aliquid certe fructuum
provenientium de domo vel agro etc.
vel de laboribus hominum vel hominis
seu persone vel personarum constitu-
tos in bonis certis vel in domo
vel mensura terre cuius aliqua pars
sufficiat ad proventum talium reddi-
tuum non tamen certa pars et signata
deputatur pro reddi[ti]bus illis sed
indistincte una pars totius mensure
sufficit ad hoc sufficientes quecumque
sit illa et hoc modo etiam consti-
tui possunt redditus pecuniarum in
aliqua parte non signata omnium
bonorum alicuius hominis vel monasterii
etc. aut in persona certa vel personis
certis nominatim designatis vel
personis incertis que ad individuum
dualem designantur vel qui con-
stituunt redditus in aliqua uni-
versitate seu communitate hominum
civitatis vel ville etc. Dummodo
hoc fiat sine fraude et fiat
intuitu recto etc. Quia causa sic
licitum est contractum emere vel vendere
ius percipiendi pecuniam vel alias
res tamquam usui congruas
secundum quod sunt certa vel incerta
in bonis aut persona vel personis
certis vel incertis iniusta modo

expressum constitutum. Secundo notandum
tamen quod quedam patet ex premis-
sis. Item probari potest secundo ex dictis
doctoris opposite sententie
scilicet magistri Henrici de Gandavo.
Nam ipse concedit quod si aliquis emit
pro iusto pretio seu iusta pecunia
fundum vel mensuratam terre. Et
deinde talem fundum vel terre
mensuram vendit pro aliqua
quantitate pecunie annuatim vel ad
vitam vel ad perpetuum solvenda.
Sed si aliquis huiusmodi fundum vel
mensuram terre dedit vel dat
eam vel eam quo ad proprietatem
communitati alicuius civitatis vel domui
religiosorum pro certa quantitate pecunie
annuatim in perpetuum reddenda
reservando sibi pro usu illos redditus
in utroque istorum casuum si huiusmodi tales
redditus velit eos vendere licitum
est alteri quod emat eos etc. Ex hiis
arguitur pro conclusione nostra probanda sic.
Aliquis licite potest emere pro pecunia
redditus pecuniarum annuatim vel
ad vitam vel perpetue ab illo qui
habet tales redditus ex hoc quia
fundum suum pro talibus redditibus ven-
didit alicui homini vel alicui com-
munitati vel domui religiosorum vel
quod alicui tali dedit fundum suum
quo ad proprietatem reservando etc.
Sibi pro usu illos redditus igitur ille eos
emere potest pro pecunia tales redditus
pecuniarum ab illo qui solvit
redditus illos de fundo quem emit
vel a civitate vel a communitate cui
donatus est fundus ille quo
ad proprietatem reservatis redditibus
illis pro usu donantis ante est illius
doctoris in summa seu virtute.
Consequentia probatur quod nulla est in hoc differentia
realis quo ad speciem talium con-
tractuum nisi quod in uno immediate
vendit homo vel communitas quod suum

est in alio hoc idem vendit alter
qui hoc habuit ab alio homine
vel ab alia communitate sed talis differentia
nichil ad hoc facit quod contractus
ex una parte sit licitus et non ex
alia. Item aliquis potest alteri dare red-
ditus pecuniarum ad vitam vel perpe-
tue et ille cui huiusmodi reddi-
tus pecuniarum dantur potest licite
eos vendere pro pecunia ut etiam
concedunt illi de opinione opposita
igitur etiam ille dans huiusmodi
redditus alteri antequam eos daret
sibi poterat eos vendere pro
pecunia consequentia patet quia quod ille
qui habet huiusmodi redditus
formaliter in ius percipiendi tan-
tum pecuniam ex donatione illos
possit vendere et non ille qui
illos habet virtuale sive causaliter
et equaliter vel magis in sua potestate
videtur esse irrationabile etc. Confirmatur tale ius
percipiendi pecuniam constitutum
est ipsi donatario a donante
igitur sicut iste dicit ita etiam
pro certa summa pecunie poterat ei
vendere consequentia patet quia secundum
regulam iuris Cuius est ius dan-
di eius et est ius vendendi etc.
Ex dictis patet quid sit dicendum ad
racionem partis opposite qua dicitur
quod pecunia est tale quid in quod
per se non cadit empcio et ven-
dicio vel communiter etc. Nam sicut apparet
ex dictis in tali contractu de quo
hic agitur non emitur pecunia for-
maliter quamvis ematur in virtute nec hoc
est illicitum ut predictum est sed
emitur formaliter ius predictum
scilicet percipiendi pecuniam nec e-
mens accipit aliquid ultra sortem
quia quicquid accipit ex tali
iure cedit in sortem suam etc.
Forte quereris quid et que res
est tale ius realiter quod est pars iuste

percipiendi pecuniam secundum modum
illius tractatus et hoc modis ita
licite aliquis potest emere ius tran-
seundi vel equitandi per fundum
alterius vel ius figendi palas
in muro alterius et ita de similibus

dr̄ sine fraude

Dixi autem dummodo hoc fiat sine
fraude Unde secundum apostolum i
Thess. 4to Ne quis circumveniat fratrem
suum in negocio quoniam vindex est dominus de hiis omnibus. Hoc sit
malum lex divina utriusque testa-
menti scripta percipiens caritatem naturalis
nos edocet nec et lex nature hoc
tacet iubens nullum debere
facere alteri quod sibi non vult fieri
Debet etiam in hoc tractatu esse
intencio recta et causa racionis atque
pia ut scilicet fiat ad provisorem eorum
de quibus supra dictum est in parte
dicti capituli ad augendum dei
cultum et proximorum inopiam sub-
levandam in quo duo complent
precepta dileccionis dei et proximi
in quibus tota lex pendet et prophete
Mt 22. Iterum est autem si hoc fiat
intencione ociose vivendi et causa
divicias congregandi non obstan-
te quod hoc fiat cum dampno et iac-
tura proximi dum scilicet pauper vergit
et dives vergit rogatus non vult
ei prestare mutuum sed vult emere
eius hereditatem vel redditus in
eius hereditate tunc eo ipso
quo ad emptorem redditur contractus
illicitus adeo quod tali emptori im-
peratur id Ve Ysaie v. Ve autem
pregnantibus et nutrientibus in
illis diebus prout seriose omnis
Augustinus super psalmos xxxix. Ubi
ultimo ubi notat quod pregnantes sunt
qui spe filiorum intumescunt nu-
trientes vero seu iam nati quod
iam adepti sunt quod concupierunt
pregnantes sunt qui res alienas
sperant et illi spectant nutrientes

non qui eciam ad illos pervenit
et eas adipiscendo tamquam filios
osculantur quibus dicitur Ve pregnan-
tibus etc. Et ponit ibidem Augustinus exemplum
de paupere qui vergit a creditore
et divites rogatus ab eo pro adiutorio
dicit non habeo in manibus sed si vellis
vendere hereditatem tuam bene
haberet unde emeret Et ondit per gradus
Augustinus quod hoc non debeat esse inter
christianos qui sperant futuram
vitam et si inter quos fuit curi-
gere se dum in hac vita quia
patitur hac vita non est locus cor-
reccionis Et ad hoc adducit exemplum
de divite epulatore de quo Luc.
xvi dicitur etc.

Tercia questio est illa an licitum
sit alicui emere pro pecunia
redditus pecuniarum vel
aliarum rerum humano usui convenientium
hereditarios seu perpetuos Et
quod sic dummodo non interveniat fraus
aut aliquid aliud quod viciet substanciam
contractus puta ut aliquis habet de fundo suo
vel de aliqua alia re redditus
pecuniarum vel rerum aliarum humano
usui convenientium hereditarios
et perpetuos et licet potest alteri
pro pecunia vendere in consimili
ad illud dubium fuit vero gracia
de se nota est et omnes dare potest
per roces in capitulo immediate
predicti questionis Item expedit quandoque
redditus tales constitui ad provisorem
illorum qui alios prosunt in spiritualibus
et eciam eorum qui prosunt in temporali-
bus regno et pauperibus prout
apparet in capitulo primo scilicet cum
redditus tales constituere eius est eos
eos alteri dare aut pro pecunia
vendere Item aliquis potest alteri
vendere fundum domum vel agrum
vel aliam rem de qua omnibus
laboribus et expensis deductis
habere potest redditus annuos perpetuos

vel aliarum rerum secundum statum quem
in eam potest alteri vendere redditus
tales seu ius percipiendi annuatim
perpetue item quantam pecuniarum vel
aliarum rerum retinendo quod proprietatem
illius rei de qua redditus tales
proveniunt Contra rationem ad contractum
ille empcionis et vendicionis re-
quirit equale inter datum et ac-
ceptum sed talis equalitas esse non
potest in illo contractu quia pro certa pecunie
summa emitur redditus pecuniarum
vel aliarum rerum perpetuus eo quod in
successu temporis incomparabiliter plus
proveniet de redditibus in valore quam
fuit valor summe illius pecunie
pro redditibus date igitur non equalitas
inter datum et acceptum seu inter
rem appreciabilem et precium eius
et per consequens contractus talis non
est contractus iuste empcionis vel
vendicionis igitur nec licitus etc. Pro
responsione ad racionem contrariam sciendum
est quod secundum Augustinum xi. de civitate dei
capitulo 16to res a deo facte possunt
dupliciter considerari et estimari Primo
secundum ordinem nature sue et hoc modo
preponuntur viventia non viventibus
et in hiis que vivunt preponunt
sencientia non sencientibus
sicut arboribus animalia et in hiis
que senciunt preponuntur intellige-
ncia non intelligentibus sicut homines
pecoribus Et in hiis que intelligunt
preponuntur inmortalia mortalibus
sicut angeli hominibus Secundo estimari
possunt res tales pro usibus earum
usu in quo quelibet earum nata
est venire et hoc modo sic ut quod
sensu careancia quibusdam senci-
entibus preponamus Quis enim non
domum suam prime quam mures in
mos quam pulices malit Sed
quid mirum cum in precio hominum

eciam estimacione quorum certe
natura tante est dignitatis plerum-
que carius comparetur equus quam servus
gemma quam famula Ex hoc sequitur
quod in contractus iuste empcionis
et vendicionis non requirit
equale inter datum et acceptum
considerando et estimando ea primo
modo scilicet secundum ordinem et gradus nature
sed secundo scilicet secundum estimacionem eorum quo
ad usum quia eorum in que veniunt
inter homines hoc eciam est sancti
Thome in 2a 2e questione 77
articulo 2o in responsione ad ultimum articulum
estimando hoc primo datum et ac-
ceptum scilicet secundum quod venit in usum
humanum Secundo dupliciter accipit inter
ea quantitas unde prout estimatur
secundum se quo ad usum in que venit
et equalitas venit et secundum hoc
in tractatu iuste empcionis
esse debet equalitas rei ad
rem ita ut quo ad quantitatem et
regularem usum tantum valeat res
quam dedit vendens quantum valet
res quam pro suo dato accipit
ab emente Et ideo est quod empcio
et vendicio videtur esse introducta
pro communi utilitate utriusque scilicet emen-
tis et vendentis dum unus
indiget rei alterius et econverso sicut
patet primo politice Quod autem pro com-
muni utilitate est introductum non debet
esse magis in gravamen unius quam
alterius et ideo oportet secundum equalitatem
rei ad rem inter eos contractus
constitui Quantitas autem rerum
que in usum hominis veniunt men-
suratur secundum precium datum ad quod
est inventum numisma ut dicitur
in vto ethicorum Et si precium excedat
quantitatem valoris rei vel econverso
res excedat precium nobiliter
tolleretur iusticie equalitas
Et ideo nobiliter carius vendere

aut vilius emere re qua vale-
at est illicitum et iniustum et hoc
considerando emptorem et vendi-
torem et datum et acceptum secundum
se quo ad usum in quem veniunt
inter homines communiter et equaliter
Illo modo accipit equalitas
inter datum et acceptum seu inter
rem et pretium eius secundum quod alie-
nacio rei pro eciam cedere potest in
vtilitatem vnius et decrementum
alterius puta cum aliquis indiget
multum hac rem aliquam et
alius leditur si ea careat et
in tali casu iustum pretium erit et
non solum respiciat ad rem que
venditur sed ad dampnum quod ven-
ditor ex vendicione incurrit
si non recompenset aliunde supra
precio et sic licite poterit aliquis
vendi plus quam valeat hinc
et sic fit quod vendicio quam considera-
ta re vendita secundum se esset
in detrimentum vendentis cedet
in vtilitatem vtriusque scilicet ementis
et vendentis dum omnes multum
iuuat re empta et vendens
etiam multum iuuatur precio nobile
adaucto Si non aliquis multum
iuuetur ex re alterius quam accipit
ille non qui vendidit non dampni-
ficetur carendo illa re non debet
eam supervendere quia vtilitas que
alteri accessit non est ex ven-
dicione nec ex parte vendentis
sed ex condicione ementis Nullus
autem debet vendere alteri quod non est
suum licet posset ei vendere dampnum
quod patitur Ille tamen qui ex re aliqua
alterius multum iuuatur potest propria
sponte aliquid vendenti super-
rogare quod pertinet ad eius honesta-
tem hec est sententia Sancti Thome 2a 2e
q. 77 ar. 1o Finaliter in conclusione ad

questionem dicendum hiis ulterius suppositis quod equa-
litas accidentalis est penes gradus
vtilitatis ad finem humanum con-
sequendum deseruientis et conpe-
dientis quam quidem vtilitatem homines
hec possunt vel habent ex eorum usu
Que res autem gradus quantificare debet
et estimari ex communi cursu
et consuetudine patrie et hoc
cum conseruetur datum et acceptum
seu res et pretium eius secundum se
et simpliciter quo ad communem et re-
gularem usum ipsorum Licet tamen oportet
etiam in eadem precia principue de-
terminari illam equalitatem con-
mensuracionem mathematicam
sed sufficit commensuracio moralis
et pollitica ita ut non sit excess-
sus notabilis seu in multo dif-
ficile namque est omnino pertingere
medium ut patet per Philosophum 2o
Ethicorum Sicut nec solum communiter datur sa-
gittarius qui tangit signum sed eciam
qui sagittat prope Tamen nec
datum et acceptum seu res
et pretium eius considerantur prout
alienacio rei pro eciam cedit ut
cedere potest in vtilitatem vnius
et decrementum alterius tunc e-
qualitas eorum scilicet rei et pretii
ipsius accipi potest secundum discretam
et racionalem estimacionem communiter hominum
vel alicuius boni viri vtriusque scilicet
ementis et vendentis dampnum
tamen vtilitatem pensantis vo-
lentis Ex hiis descendendo
ad propositum scilicet ad contractum emp-
cionis perpetui redditus seu re-
sue apparet quod vtrumque predictorum
modorum inter datum et accep-
tum seu inter rem et pretium eius
esse potest equalitas dum secundum
communem cursum et consuetudinem

patrie estimatur valor eorum et
vtilitas secundum se et simpliciter quo
ad modum primum vel dum hoc fit con-
traliter estimacione continencium
seu alicuius boni viri quo ad modum
secundum vt gratia Primo redditum decem
librarum perpetuum pro 200 libris
illud pretium in aliqua patria
et certo loco potest esse iustum et equale
illi redditui tamen eciam secundum communem
cursum et consuetudinem patrie va-
lere possunt 200 lib vendenti quam
redditus in decem lib videlicet tamen perpe-
tuis ita quod non sit in hoc non lesio
dea Et tantam aut forsan
maiorem vtilitatem exinde
consequi potest quantum ego omnes
ex illo redditu Et si forte
michi aliquo casu alienacio
redditus pro eciam cedere in de-
crementum aut lesionem vendentis
suppleri aut recompensari potest
per augmentum precii modo predicto
Ex hiis patet conclusio ad racionem que
namque prima pars ante oppositum scilicet quod contractus
iuste empcionis et vendicionis
requirit equale inter datum
et acceptum finaliter 2a pars que dicit
quod talis equalitas non potest esse
vbi pro ita pecunie summa emitur
redditus pecuniarum vel aliarum
rerum perpetuum Et oppositum eciam
istius partis iam est sufficienter de-
claratum Ad probacionem non eius
cum dicitur quod in successu temporis in
comparabiliter plus euenit de
redditibus in valore quam fuit
valor illius pecunie pro redditibus
date dicitur illi non est equalitas
inter datum et acceptum seu inter
rem et pretium eius iuxta communem
mensuram et equalitatem in huius-
modi rebus redditum et aliarum

rerum immobilium pensari non debet
secundum omnes et singulos succes-
siuos earum prouentus sed secundum
gradus vtilitatis quam ex earum
vsu habet contrahens penes quos
quidem gradus mensuratur valor
talium rerum secundum patrie consue-
tudinem et communem estimacionem
precii et rei appreciate seu ap-
preciabilis scilicet ipsius redditus de
quo nunc est sermo prout patet
ex supradictis Nam si pensari
deberet equalitas in contractibus
talium rerum secundum omnes et singulos
successiuos eorum prouentus seque-
retur quod nec opidum nec villa
nec ager nec alie possessiones
licite emi posset aut vendi
pro vlla pecunie summa quod tamen nullus
dicit. nec aliquis dicere debet
patet tamen communiter quod stat quod secundum diuersos
casus superiorum vel inferiorum
visitet emens et sui successores
incomparabiliter plus percepturi sunt
ex prouentibus possessionum emp-
tarum quam pecunie summa que est
earum iustum pretium se extendat etc.

Quarta questio est an li-
citum sit emere et vendere
pro pecunia redditus pe-
cuniarum vel aliarum rerum ad vitam
Tamen pro parte quod sic quia licet contractus
empcionis et vendicionis talium
redditum ad vitam sit frequenter
periculosus tam ementi quam vendenti
non tamen est de se vicious seu
illicitus Prima pars quod sit probatur
frequenter ex tali contractu omnes
deficiendi motus sollicitus est
de vite sue necessariis sollicitudine
superflua quam prohibet dominus Mathei
6o c. Nolite solliciti esse di-
centes quid manducabimus
aut quid bibemus aut quo operiemur

Sunt enim multi tam solliciti ad pcurandum tales redditus tantum de ficiendi timore ac si deus de rebus humanis nullam haberet pru dentiam Vnde glo sup predicto loco evangelii Est sollicitudo superflua pro vicio hominum qui fructus et pe cuniam plus quam necesse est reservant et dimissis spiritualibus illis intenti sunt quasi de voluntate dei de sperantes et hoc prohibet Vnde subdit hec enim omnia gentes inquirunt Super quo dicit Crisostomus in rebus humanis fortuitis credunt esse non providencia neque iudicio dei vitam suam gubernari estima tes sed in eo dum eventu suo mito timent et desperant quasi nec eum habeat gubernatorem qui autem credit se iudicio dei gubernari escam suam in manu dei committit Hu ius sequitur Dicit enim pre ver quia hiis omnibus indigetis Ite r vendens redditus ad vitam quando de se est magis dare de summa quam accepit de alio sperans emptorem minus victurum Iam et si propter nimium lucrandi paratam pecuniam illud ab inicio fecit non spe rando ementem magis per ceptu rum si contingat illum cicius mori gaudet de illius morte propter lucrum quod inde sibi provenit Vnde si diucius supervivit dolet Ite sepe contingit quod in tali contractu emens se fingit deficientem per senio aut egritudine et ven dens ex hoc sperat lucrum suum et si postea emens appa ruit robustior et longevior vendens displicencia habet de vita ipsius volens pocius eum esse mo rtuum quam vivum et ex vna parte est deceptio et ex alia parte est

invidia contra proximum et vtrumque sit contra proximi caritatem Tercio apparet questionis pars in tali contractu pt invo quem habeat estimationem sive talis ade quacio inter datum et acceptum comparando vtrumque ad ipsum hominem in quem nata sit venire ut ex eo nec dampnificetur emens nec vendens ymo pocius vterque ex eo de lucro vel commodo conse quatur Sed eciam ut ex inde res publica non paciatur detrimentum sed recipiat incrementum et profectum Et talis adequacio inter datum et acceptum ad hoc sufficit ut con tractus emptionis et vendicionis sit iustus et licitus dummodo ibi sit substancia ad contractum requi sita nec interveniat fraus aut aliquid aliud quod viciet substan tiam contractus igitur illa pe conclusio vera quam nota est de se sed amplius patet ex dictis in predicto capitulo de contractu quo emitur redditus pretium Ita in multis con tractu pt talis fieri adequacio ratione cuius sit contractus iustus et licitus ergo a forciori pt fieri talis adequacio in tali contractu vbi emitur redditus ad vitam Item contractus quo aliquis emit fundum domum agrum vel aliquid tale ad vitam suam de quo pt habere certam quantitatem pecuniarum annuatim licitus est Sed contractus ille quo aliquis emit tales redditus seu ius percipiendi talem quantitatem pecuniarum annuatim ad vitam suam dimittendi venditori proprie tate fundi vel domus vel alicuius alterius de quo provenire possunt tales redditus eciam licitus est quia tamen quia in primo contractu talis emit

ad vitam suam quantum est in re seu quo ad veritatem rei redditum cum proprietate de quo provenire possunt redditus Sed illa emptio redditum in primo tractatu non iustificatur per addicionem emptionis proprietatis fundi vel alterius de qua habere possunt redditus igitur eciam non viciatur propter dimissionem proprietatis istius fundi seu alterius de quo provenient red ditus Et per illa parte adduci possunt rationes omnes quibus probata est conclusio ad secundum dubium precedens respon siva Et oppositum tamen illius 2e partis quod tenet doctor solemnis H. de Gandano primo quodlibet suo q. 39. et 2o quodlibet suo q. 14. Nam ex dictis suis in primo quodlibet q. 39 pertractat illam questionem vtrum liceat emere redditus ad vitam per pte necessaria pt tale for mari argumentum quod vsus pecunie seu nummi proprie est eius distractio seu alienatio igitur pro nummi locatione nihil pt iuste vltra substanciam eius recipi quod si fiat ab aliquo ille accipit aliquid pro quo nihil dedit et ita cum suo alienum tollit quod est directe contra equitatem natura lis iusticie commutative in qua debet esse equalitas in precio dati et accepti talis autem procul dubio est illa commutatio cum quis emit certos redditus ad vitam pro certa summa pecunie vel eius valore quod probat in tali exemplo det aliquis 100 lib ut ad vitam recipiat quolibet anno 10. lib hic infra xi annos recipiet sortem et 10 lib vltra sortem Si restat recipere istas 10 lib vltra sor tem quolibet anno recipiendo porcionem aliquam sortis secundum pre dictum pactum et recipere in anno xi simul totam sortem et 10.

lib vltra sub tali pacto quod det aliquis vno alteri 100 lib re cepturus per eas partes xi annos 100 lib cum 10 lib vera in nullo re fert ymo vi a pietatis co accomodare vsque ad xi annos quod singulis annis in porcionem re cipere et tamen in illo vltimo tracta tu manifeste est vsura In quo quo infert ille doctor quod trac tus quo redditus emitur ad vi tam expectando aliquid recipere vltra sortem si forte supervivit receptione sortis est vsurarius Sola enim spe et expectacione plus recipiendi vsura committitur Et sic subdit doctor ille idem est si pro certa pecunie summa ab ecclesiis vel quibus personis acci piatur ad vitam spe et expec tacione recipiendi aliquid vltra sortem Hoc enim solum facit vsuram quod vltra datum aliquid petatur sicut apte dicit Gamfredus in summa sua ... 12o quodlibet questione qua super illa vbi pertractat hanc questionem vtrum liceat ven dere redditus ad vitam dicit quod in tali tractatu quo quis vendit redditus ad vitam intendit magis dare de suo quam accepit de alieno sperans illum minus victurum Et ideo est idem cum eo quod predictum est de tractatu emptoris Et sic de quibusdam qui dant pecuniam ecclesiis et ab eis recipiunt certas possessiones tenendas in toto tempore vite sue Ideo dicit quod illicitus sit contractus eo quod homines se diu victuros et tales contrahentes credunt se aliquando recepturos de proventibus possessionum plus pecunia quam dederunt Et item quid ergo inquid de quibusdam

q accipiunt pecuniam credunt
certas possessiones tenendas
toto tempore vite illorum a quibus
pecuniam accipiunt non video aut
quo sit illicitus contractus ex quo
heredes sperantes aliorum cito mo-
ri et contendentes reddunt illorum
magis acceptiores de proventibus
possessionum quam sit pecunia quam de-
derunt. Unde et si propter necessitatem
habendi paratam pecuniam
istud ab inicio fecerunt non spe-
rando ementes magis percepturos
si tamen contingat illos citius mori
et magis percipere non video quo ti-
tulo racionis iusticie sit venditor
tenendus quod super est pro quo nichil dedit.
Nemo enim racione pacti dedisset
emptor aliquid de suo nisi spe-
rasset se accepturum tamen vel amplius
de alieno. Et ideo pro ista oppinione
confirmandi et contra secundum predictam
predicte conclusiones aut errores racionibus
aliis sicut contractus ementes tales
redditus procedit ex prudencia
carnis que inimica est deo ut dicit
Apostolus ad Romanos viii^o. Non enim
procedit ex caritate sed potius
ex cupiditate cuius signum
est inclusio timoris deficiendi
in natura et diffidencie cuius de deo
qui providere non solet hiis qui
faciunt erga ipsum quod debent igitur
contractus ille quo aliqui ementes
huiusmodi redditus procedit ex
mala radice et per consequens ex ma-
la arbore. Mala autem arbor
fructus malos facit ut dicitur
Mathei vii^o. Secundo sic omnis sollicitudo
